OB
COLLATAM DIGNITATEM
SACERDOTALEM;
VIRO
EXCELL. PLVR. REV. & CLARISS.
DOMINO
M. PETRO IAENICHIO
GYMN. THOR. RECTORI & P. P. NEC NON AD AEDEM B. M. V. ECCLESIASTAE MERITISSIMO,
HABITA DOM. EXAVDI AN. MDCCXXIII.
AVSPICALI
CONCIONE SACRA;
BENEFICIORVM IN SE COLLATORVM AETERNVM MEMORES
GRATVLARI VOLEBANT
GYMNASII CIVES.

THORVNII
Typis Ioh. Nicolai, Nob. SENAT. & Gymn. Typograph.

IAm ver purpureum juvenisque effloruit annus,
Stellata paſſim veſte ſuperbit humus.
Lilia ſvave micant, Paeſtani gloria ruris
Eminet, in campis undique fragrat odos,
Nempe novo Zephyrus madidantes nectare pennas
Imbuit, & Tempe Theſſala rore madent.
Mellifera hinc acies electis paſcitur herbis
Libantque Hyblaeum cerea caſtra thymum;
Inde ales nemus omne replet. certatq; canendo
Paſtorum argutos vincere poſſe modos.
Praecipue Philomela ſonos per mille figuras
Deducit, Muſis invidiamque movet.
Nunc etenim lituum ſimulat, nunc cymbala, ſiſtra,
Nunc cytharam, crotalos fingit, & una refert.
Quid mirum, natura parens ſi tota novatur,
Et pariter cultus induit illa novos:
Aura quod inſignes melior demulceat urbes,
Poſtque hyems iterum florea ſecla meent.
Nuper enim THORONA bono iuveneſcere fato
Viſa eſt, & cingi tempora vere novo.
Quattuor allecti in ſanctum per vota Senatum,
Fecere ut numero plenior orbis eat.
Quattuor inſignes Themidos diaeque magiſtros
Paeoniae, gremio Curia docta fovet.
Sic PATRVM veneranda cohors ſe nempe tuetur
Maieſtate ſua, conciliatque decus.
Sic Aſtraea viget, redeunt Saturnia regna,
Atque etiam Muſas ſanctior umbra tegit.
Vt quando excelſum terras Hyperionis aſtrum
Adſpicit, & radios ſpargit ubique ſuos;
Hinc lumen Phaebea ſoror tardique Triones,
Hinc & Zodiacus concipit ipſe faces:
Nec tantum convexa poli fulgentque micantque,
Quin etiam tellus frigida luce calet.
Sic ubi celſa viris effulget Curia doctis,
Permanet & ſtudiis intemeratus honos:
Tum Pindus viget, ac varias protrudere gemmas
Incipit, inque aeſtu laetior umbra fovet.
Nec tamen haec fortuna ſtetit ſibi limite: pennas
Ad ſacras etiam protulit illa domos.
Nam poſtquam occubuit letho PRAETORIA virtus,
Ac ſupera ex merito ſede recepta fuit,
Presbytero nudatus apex lugubre ſonabat,
Ornamenta pio pectore rapta gemens.
Nempe horreſcit humus, ſiquando Veris honores
Aura proſtrati frigidiore iacent:
Et ſi paſtor abeſt, fugiunt armenta, duciſque
Exuta imperio non ſua luſtra petunt.
Sic Chriſto ſacrata cohors, PRAETORIA poſtquam
Vis abiit, poterat ſollicitare metum;
Et lacrymis conſperſit humum: fidiſſime Paſtor,
Inquit, quo properas, quove ſubire paras?
Reſpecta cathedram, quae ſaepius ore diſerto
Perſonuit; charas reſpice Paſtor oves.

Ara

Ara vocat, fratres revocant, myſteria menſae
Ambroſiae manes ad ſua feſta vocant.
Sed fruſtra ingeminant: ponit mox ille ſeniles
Exuvias, poſitis coelica tecta ſubit,
Sic vacuam ſedem recipis, moderante *Senatu*,
Presbyterique ornas, docte GERETE, locum.
Vere novo campos iterum revireſcere cernas,
Et regredi fato proſperiore Senem.
Addita IAENICHIVS templo nova ſtella, Lycei
Quae pridem Orion vel Cynoſura fuit,
Luce nova coepit ſubito fulgere, Sacerdos
Aonias cathedrae iungere dignus aquas,
Et poterat propiore loco faſtigia ſacra
Scandere, ni pariter mens moderata foret.
Conſcia nam virtus magnos non ambit honores,
Ex imo ad ſummum ſerpere ſveta locum:
Seque una contenta viget, ſplendore ſuomet
Lucidior radios ſpargit in orbe ſuos.
Macte iſthoc animo! fient violaria quondam
Lilia, de tenui frutice cedrus erit.
Aſt quantum tremuit, conſternatumque Lyceum
Pertimuit, totus ne rapiare ſibi.
Ceu quoties nigra tegitur ferrugine Phoebus,
Vel Nerei feſſos flumine merſat equos;
Roſcida ſriget humus, componit Flora capillos,
Non amaranthus olet, non hyacinthus olet.
Vt tamen ornares Muſas, ac more doceres
Conſveto, effecit provida cura PATRVM.
Haec TIBI Gymnaſii veteres firmavit habenas,
Ambonemque ſimul condecorare dedit.
Ergo Dei maiore domo myſteria tractas,
Quem fidum experta eſt haec minor eſſe domus.
Non etenim adverſis Muſaeque & Biblia pugnant
Cornibus, haud ſpernis Paule Platonis opes.
Non agnum averſatur ovis, non pulpita ſacram
Deſpiciunt cathedram: gloria utrinque manet.
Hinc Numen TIBI ceſſit oves, commiſit & agnos
Paſcere & ingenio flectere utroſque TVO.
Tam quia felicem TE, VIR VENERANDE, videmus,
Non prorſus laevo nitimur auſpicio;
Speramuſque ſimul, quod concors fiet Apollo
Cum Paulo, & certae foedera pacis erunt.
Artibus Aoniis porro ſaturabimur agni,
Tempore morigeras eſſe iuvabit oves.
Theiologia TVO ſemper ſtillabit ab ore,
Seu ſiet illa vetus, ſeu magis illa recens.
Expones ſectas varias, diſcrimina veri
Pieridum diſcet TE praeeunte chorus.
Tempora ſignabis vetereſque ex ordine faſtos,
Ac repetes ſancti ferrea fata gregis.
Mores in melius poteris formare, diſerto
Ethica ſi quando profluet ore TVO.
Nec minus, Hebraeo quae codice claſsica dicta
Saepe ſonant, cupidis plena & aperta dabis.
Quid multa? invidia procul es: nam fontis ad inſtar
Irriguas mentes ingeniumq; facis.

Nil

Nil clausum retines, & non TIBI colligis uni,
Omnibus ex aequo mens TVA dia patet.
Iamque adeo, quia fata parant maiora merenti,
Virtutemque TVAM non capit iste locus:
Suscipe, Castalides quas libant mente sorores
Grates, neve TVI dememinisse putes,
Durabit memori semper solertia mente
Dexteritas & amor, cum pietate fides.
Per TE sacra Dei nobis oracula constant,
Ausonias per TE lingua refundit opes.
Per TE lux rediit varia caligine pressis,
Mensque micat radiis nobilitata TVIS:
Seu coecos Logica sit opus dissolvere nodos;
Haeresium falsas frangere sive strophas:
Vndique subsidio munimur, & incrementum
TE vivo spondet Musa perenne sibi.
Inprimis, quod lene fluunt TIBI maxime mores
Praeceptor, memori mente tenere iuvat.
Non etenim tristi placuit feritate timeri,
Viscera non nigro fervere felle diu.
Mites Aonidas rexit tranquilla potestas,
Et placida effecit, quod violenta nequiit.
Sic Nilus stringit moderato murmure terras,
Et ripas Pharias fertilitate beat.
Exemplo sic mota TVO, feliciter omnem
Morum barbariem pellere docta cohors,
Et mollire animos potuit: stat Pindus amoeno
Vertice, Maecenas TE moderante favet.
Ter nos felices, queis illis moribus uti,
Menteq; IAENICHII fata dedere frui.
Ter nos felices, si sic aptosque paratosque
Excipiat gremio Leucoris alma suo.
Haec pridem mirata TVAS (laus maxima) dotes,
TE natum ingenuum, TE vocat illa suum.
Hic TVA nam facies, hic occursabit imago,
Crescere & ingenio fas erit usque TVO.
Sed iam laetus adi cathedram, quam dia Tonantis
Cumque ara laticem cura patere dedit.
Eloquium stillet labiis: constantia duras
Res superet: vegetus corpore, mente sies,
Muniat aes triplex pectus: non gratia vulgi,
Non moveat terror, sed neque livor edax,
Symmystas inter vigeat concordia: Zelus
Ambrosii tutum servet ubique latus.
Omnes exupera curas: mitissima CONIVX
TE fessum recreet: Nestor & ipse sies.
Floreat ASCANIVS geminus: sit imago Parentis,
Et referat dotes Patris uterque sui.
Denique, dum sacro fumant altaria thure,
Non Helicon abeat, non TIBI noster amor.